prius ſubtiliter interroget, quantum amat. Machina quippe mentis eſt vis amoris, quæ eam dum à mundo abſtrahit, in alta ſuſtollit. Et vt compendioſe, quantum vtilitatis conferat diuinus amor, dicatur, conſiderandum eſt, quam multiplici motu humanæ conditionis ſtatus variatur. Nihil enim in temporalibus inuenitur, præter vnum, quod vitæ cœleſtis imaginem repræſentet. Sola Dei dilectio eſt, quam non alterat caſualis euentus, quam ſeparatio corporalis non diuidit, quam temporalis longitudo non abolet, quæ defectui non ſuccumbit. Sola caritas eſt, per quam abſentes videmus, alloquimur, amplexamur, quæ ſic quadam angelica agilitate tranſuolat, & recurrit, vt nihil de corporeæ molis aut diſtantiæ localis iniuria cõqueratur. Nec ſolum propter ipſius amoris vtilitatem, ſed etiam propter fidelitatem, quam dilectoribus ſuis ſeruat, ipſe Deus eſt diligendus. De eo dicit ſcriptura. Amico fideli nulla eſt cõparatio, & non eſt digna ponderatio argenti & auri. Eccle. 6. Quadrupliciter nanq; oſtenditur amicitia (ſcilicet) quando diligens non diligitur, ſed hoc in Deo non eſt. Prou. 8. De ipſo enim ſcriptum eſt. Ego diligentes me diligo. Ioan. 14. Et alibi, Qui diligit me, diligetur à Patre meo (ait Dominus Ieſus amantium amator) & ego diligã eum. Quũ enim poſſet Deus & Dominus noſter etiã non moriendo generi humano ſuccurrere, voluit tamen moriendo ſubuenire, quia alioqui non minus amaſſe crederetur, nec vim ſuæ dilectionis oſtenderet, niſi hoc quod à nobis toleratur, ad tempus ipſe ſuſtineret. Alio modo amicitia offenditur, quando qui in tempore proſperitatis diligebatur, minus aut non diligitur in tempore tribulationis, de qua dicitur Eccleſi. v 1. Eſt amicus ſecundum tempus ſuum, ſed non permanebit in tempore tribulationis. Sed non ſic in Deo eſt. Pſal. 90. De ipſo enim dicit Dauid in eius perſona. Cum ipſo (id eſt iuſto) ſum in tribulatione. Nam qui vere amicus eſt, omni tempore diligit. Non illum tormentum ſeparat, labor non laſſat, theſaurus non ſeparat, alienus amor non occupat. Non enim propterea debes ô homo amare Deum, vt aliquid tibi præſtet, vt pecuniam, vel aliquid commodi temporalis. Non enim ſic illum amas, ſed id quod tibi præſtari vis. Amicus amandus eſt gratis propter ſe, non propter aliud. Si autem te coarctat regula amicitiæ, vt amicum gratis diligas, quàm gratis amãdus eſt Deus, qui te gratis amat, & abundantius te diligens in tribulationibus tuis indiuiduus ſe diligenti dux efficitur. Tertio modo læditur amicitia, quando ij qui viuorum amici fuere, inimici ipſorum efficiũtur poſt mortem, quum ſuis bonis liberos expoliant, de quibus dicitur Eccleſi. v 1. Eſt amicus, qui conuertitur ad inimicitias, ſed non ſic in Deo eſt. De ipſius enim amicitia ſcriptum eſt. Preciosa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius. Tunc vere quàm maximè Deus hominem diligere oſtenditur, quum per corporalem mortem hinc decedit anima. Niſi enim diſſolueretur à corpore, non glorificaretur cum corpore. Reſurgent nanque ſanctorum corpora ſine vllo vitio, ſine vlla deformitate, ſine vlla corruptione, depoſitoque omni onere, in quibus tanta facilitas, quanta felicitas erit. Ex quo clare patet Dei ad hominem amicitiam minime perfecte poſſe agnoſci niſi poſt mortem. Quarto modo læditur amicitia, quando ij, qui patris fuerunt amici, filiorum efficiuntur inimici, ſed non ſic Deus. Nam de ipſius amicitia ſic ſcriptum eſt Exodi x x. Ego ſum Dominus Deus tuus, fortis & zelotes, vltans iniquitates patrum in filios in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me, & faciens miſericordiam in milia iis qui diligunt me, & cuſtodiunt mandata mea. Et vt breuiter dicatur, Beatus qui amat te Domine, & amicum in te, & inimicum propter te, & cætera ordinatè. Omnis nanque creatura quum bona ſit, bene poteſt amari & male, bene, ſi ordine conſtituto, id eſt, ad cognoſcendum & diligendum Deum, male, ſi ordine perturbato, id eſt, ſi amaueris condita, & deſeruieris conditorem. Quum enim omnia non amentur, niſi quia bona ſunt, pudeat hominem eis inhærendo non amare bonum ipſum, vnde bona ſunt.

Quomodo Deus ab homine ſit diligendus.

CAP. IX.

MOdus diligendi Deum eſt diligere ſine modo. In dilectione etenim Dei non eſt alia ratio, aliaque diſcretio, niſi vt ſicut ille nos dilexit in finem (ſcilicet) in immenſum, ſic (ſi fieri poteſt) nos illum diligamus in infinitum. Notandum tamen, quòd quum nullum finem debeat habere deuotio amantis, tamen terminos ſuos & fines, & regulas habere debet actio operantis. Modus verò diligendi Deum oſtenditur Deuterono. v 1. his verbis. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Ille etenim Deum ex toto corde diligit, qui eum ſapienter diligit, tota anima diligit, qui illum dulciter diligit, tota virtute diligit, qui ipſum fortiter diligit. Qui enim Deum diligit ſapienter, nulla ſuperſtitione vel leuitate, vel ſpiritus feruentioris vehementia, metam diſcretionis deſerit. Neque ille dicendus eſt Deum ex toto corde diligere, qui intellectum ſuũm in obſequium Chriſti non captiuat, & ad viſionem Dei toto deſiderio non anhelat. Quadrupliciter autem captiuatur intellectus, vt ad Deum ſapienter diligendum facilius peruenire queat. Primo, vt in iis quæ ſunt fidei, Deo obediat & merito. Nam ſoli Deo de ſe credendum eſt, qui ſe ſolus nouit. Alio modo, vt male de ſe homo ſentiat, & bene de proximo ſuo, quia conſiderata infirmitas propria, mala excuſat aliena. Ideo magis proximorum virtutes cogita ô homo quam vitia, ſi vis intellectum captiuare tuum, & Deum toto corde diligere. Meditare quid tibi deſit potius, quam quid adſit. Quod habes, caue ne perdas, quod non habes, ſupplica vt habeas. In quantis iis minor, eſt conſiderandum, non in quantis iis maior. Si enim cogitas, quantum præceſſiſti alterum, time tumorem, ſi verò cogitas, quid tibi deeſt, ingemiſce, & quum ingemiſcis curaris. Humilis ſi eris, tutior ambulabis, non præcipitaberis, non inflaberis. Nam quanto maioris gratiæ lumen percipis, tanto magis reprehenſibilem te eſſe cognoſcis. Tertio modo, vt ſenſum ſuperioris ſui, ſenſui proprio præponat homo. Vnde lignum in paradiſo ſcientiæ boni & mali cenſura diſcretionis eſt, quod in conuerſione religionis penes patrem ſpiritualem, qui diiudicat omnia, & ipſe à nemine iudicatur æque ſtatuẽdum eſt. Ipſius 1. Cor. 2.